Q. D. B. V.

THESES INAUGURALES

MEDICÆ MISCELLANEÆ,

Quas in Almâ *EBERHARDINA,*

Ex Decreto Facultatis Gratiosæ,

PRÆSIDE

DN. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. Hujus Prof. Publ. Ordinario,

Patrono suo Venerando,

PRO LICENTIA,

Supremos in Medicina Honores legitimè consequendi,

publico Eruditorum examini submittit

JOHANN-CASPAR BEUTTEL,

Heidenheimensis,

In Aulâ Novâ,

Ad d. Junii, Horis solitis.

TUBINGÆ,

Typis HIOBI FRANCKII.

Anno M DCC XIV.



Σ. Θ.



Ui Scripta Majorum cum Hæreditate comparant, ſimili benè convenire viſo rem omnem literariam declarant. Æquum omninò eſt, gratâ mente manuque accipere quam tradunt Magiſtri lampada: Juvat gaudere tot ſtudiorum & laborum fructibus; quin ipſis oportet uti ad Divini gloriam Nominis, publicamque mortalium ſalutem. Hoc & mihi dictum puto, cui Nepoti cognomini Praxin ſuam Medicam Manuſcriptam legavit moriens B. Avus, *Dn. Joh. Caſp. Beuttel*, Medicus Civitatis Imperialis Ulmenſis Famigeratiſſimus, cujus quondam laudibus dicavit Diſſertationem de Præſtantiâ ſtudii Medici Pietas Generi, ***B. D. Eliæ Veiel***, Antiſtitis ibidem Celeberrimi. Cùm itaque ſuperatis nuper examinibus pro Licentiâ mihi diſputandum ſit, facilè mihi condonatum iri ſpero, ſi, miſſis alienis, thema non è longinquo petiero, ſed floſculos quosdam è laudato libro decerptos propoſuero. Tantum quidem de me non præſumo, ut docere velim quoscunque alios; Meum eſt, opponentibus parare modò materiam litis, non ultra tamen horas conflictui deſtinatas duraturæ: Libertati & Prudentiæ aliorum relictum eſto, utrum ibi aliquid è re ſuâ ſint agnituri. Ego potiùs Deum ſubmiſsè veneror, ut nunc & ſemper ſuâ gratiâ infirmo mihi adſit!

PEr *Praxin* igitur *Avitam* obſervo ante omnia frequenter ſuaderi *Inciſionem Venarum in magno pedis Digito*, quæ *Cephalicæ* dicuntur, tanquam prophylacticon multorum morborum. Undè mihi deſumi & per modum conſilii medici proponi poſſe videbantur theſes ſequentes:

Fiant iſtarum ſectiones venarum non in paroxyſmis morborum chronicorum, ſed tempeſtivè extra ipſos: In acutis ægro priùs concilietur ſomnus, quàm adminiſtrentur illæ.

Aperiatur vena pollicis non modò unius ſed & alterius ſimul, quàm propè licet ad ungues, quàm dexterrimè à chirurgo, cavente læſiones quaſcunque, queis fato interdum triſti fiunt infelices venæſectiones.

Obſervetur tempus veſpertino-nocturnum, ad horam octavam, nonam; in hoc enim non parum momenti ſitum eſſe dicitur.

Tempeſtivæ magis erunt venæſectiones inſtitutæ hybernis menſibus: Fit tamen mentio in quibusdam caſibus tridui ante novilunium aprilis; vel & lunæ in ariete obſervandæ.

Suadentur reiterandæ vel annuatim, vel per annum bis tervé; aut potius pro exigentiâ morbi & ægri tolerantiâ determinantur.

Fœminis octo dies à menſibus eſſe prætermittendos, tunc iſtarum ſectione venarum fluxum menſium poſſe coerceri nimis largum, promoveri parcum.

Præter laudes generales miſſionis hujus ad morbos multos, in ſpecie remedium hoc ſingulare commendatur adverſus maniam, melancholiam, epilepſiam, ophthalmiam, icterum, cancrum, &c. quin ipſam denique famoſam podagram.

Quibus hæmorrhoidum fluxus fuerat familiaris, quocunque autem fato deſierit, his ipſe quâcunque etiam ratione meliore revocetur, hinc & illæ pollicum ſectiones inſtituantur: quæ quidem cautela pro melancholicis maximè fuit inculcata.

Nec tamen prætermittuntur cæteræ prorſus aliarum venarum ſectiones, ubi ipſis opus videtur; e. gr. frontalis poſt illam pollicum in ophthalmiâ, non excluſâ etiam ſcarificatione: ſimiliter cephalicæ in flexura cubiti externæ in maniâ: aut denique, pro ſexu forſan fœminino, utriusque ſaphænæ quotannis ad præſervandum ab epilepſiâ.

Hæc chirurgia non in excluſione ad pharmaciam ita commendatur ibi, ſed decente & prudente methodo coordinantur ipſæ, juxta filum quod vocant medicinale per curationis dies ſibi ſubjungendæ.

Quanquam inveniuntur paſſim Hæmaphobi, habentes patronum cauſæ in antiquitate *Eraſiſtratum*, proximo ſeculo *Helmontium*, qui ſanitate, quam gratulamur ipſis & precamur firmam, gaudent Dei gratiâ, aut morbos tolerant vel ſuperant, absque eo,

ut

ut quid debeant Phlebotomiæ, ſive quòd non generetur vel tempeſtivè conſumatur ipſis futura morbi cauſa, ſive diætâ præoccupetur & corrigatur, pharmaciâ intra terminos coerceatur niſus, vel quâcunq; ratione meliore ducatur ad emunctoria convenientia, ut vel ſponte naturæ prorumpat & ægrum ſublevet: Non deſunt tamen alii, ut eſt mira omni modo inter mortales differentia, nec pauci illi, qui faciles & frequentes ad hoc in mittendo ſanguine conſtitutum præſidium properant, ipſique tam ritè obſervato laudes tribuunt curationum & præſervationum à morbis, quàm vel neglecto vel malè inſtituto culpam imputant ſiniſtri eventûs.

Non eſt hujus loci conferre rationes & autoritates pugnantes, quæ nimis quàm paſſim ſuppetunt. Placet modò excuſationes quasdam citare, quibus declinari vult quod opponitur ſcandalum: cur non ſemper à phebotomiâ ſoleat obtineri qui ſperabatur inde ſucceſſus. Primas utique tenet illa, quæ deſumitur ab electione hujus operationis factâ vel ab ægro vel à medico tanquam incongruæ, in caſu quo *non plethora* vel orgaſmus, nec diæta boni multi ſucci prævia venæſectionem, ſed vel infirmitas analepſin, vel purgationem viarum primarum cacochymia, aut morbi mos aliam excretionis indicaſſet ſpeciem: Sic e.g. in malè nutritis corporibus ſanguinis miſſio pernicioſa dicitur *Lanciſio* d. mort. rep. 2. 5. Altera ratio ſuppetit à *quanto*, ſive potius parco, cùm peccatur in defectu, dum morbus poſtularet detractionem largiorem. Non opus eſt multis citari, quod paſſim legitur, e.g. in comm. *Heurnii* ad aph. 23. ſ. i. à *Galeno* traditum, de Cauſis miſſo vel ad deliquium ſanguine quàm citò extinctis, ſolutâ indè alvo, & manantibus ſudoribus, non ſine maximo commodo. Miramur Germani Gallorum & Anglorum liberalitatem & frequentiam, interque hos ex *Act. Lipſ.* anni nuperi *Whitium*, pro venæſectione in acutis quantitatem unciarum triginta determinantem ad ſexaginta, argumento criſium largarum, quippe ad libras cum evphoriâ factarum, ut redargueret timorem non ultra libram mittentium. Tranſeant iſta modò, examini & tentamini audaciorum committenda. Proportionatum utique quantum juxta morbi & ægri circumſtantias mitti fas erit & obſervatu neceſſarium illi, qui fine petito per hoc medium potiri voluerit. Non minùs tandem notabilis eſt cautela, ne peccetur

cetur in *ordine*, sed ut venæsectiones instituantur, juxta certas practicorum regulas, sive leges revulsionis & derivationis, quas collegit, approbavit, vindicavit ex professo *L. Bellini*, quòd sc. casu, quo pars aliqua affecta est, tutissimum sit, sanguinem mittere ab illo trunco, cujus nulli rami ad partem affectam tendunt; deindè à venis oppositi lateris, ab eodem trunco venientibus; postremo ab ipsâ parte affectâ: nisi quòd aliquandò missio sanguinis ex affecto latere, pulmonis e. g. respectu, possit esse prodigii instar, & subitò hominem ad sanitatem redigere. Utrum hæc explicari debeant & possint non per tractionem, vacui metum, instinctum aut consilium naturæ, vel avocationem morbi, sed ex mutatâ per phlebotomiam ratione quantitatis & velocitatis sanguinis per suos canales, atque adeò determinari universale fluidum ab affectâ parte ad apertæ venæ locum, absque eo, ut villo contractili detur Præses, aut instrumentis, à quorum necessariis motibus omnia pendeant, principium: id quidem modò non diducam mearum satagens litium. Sunt utique, qui vellicant istum: Etenim *Ant. Heide* regessit, se talia motuum schemata in apertis & inspectis ranarum vasculis non observasse; Et ex *Giorn. d' Ital* T. 2. constat, occasione Bellini quàm dissonent & ibi animorum motus, dum ex Medicis hi specifica laudant, illi venæsectionem urgent, quin ipsam hujus necessitatem vel ab exprobratâ istorum paucitate probare præsumunt.

Fas igitur & mihi sit ad prophylaxin & therapeian morborum feliciùs obtinendam spem ponere in *tempore* & *loco* convenientibus. Ad has enim præcisè circumstantias exegit *B. Avus* instituendam venæsectionem, harum observatoribus felicioris successûs spem fecit: non itaque mirum, non sequi, quod aliàs solebat & poterat, ab omissione fidelium monitorum, à neglectu thesium. In praxi vel *hæmorrhagia* ipsa audit tam *critica*, quàm *symptomatica*: *Artificialis* autem *sanguinis emissio est aut esse debet affinissima criticæ*; juxta rerum practicarum peritos. Agnosco enim, ut bonâ fide agam, in avitis thesibus *Joh. Sophron. Kozakum*, scriptorem de Hæmorrhag. de Sale, &c. à medio seculi nuperi clarum, ut passim citari solitum, ita & laudatum in eteodromo Celeb. Dn. Arch. *Lentilii* Transmittam ego quidem hîc paradoxa Viri, quæ inter facilè primum sibi

vendi-

vendicent *spirituum* clientes, non Illi animalium medicis dictorum, sed nescio quorum entium, dæmonum; pro causis ægritudinum quò non usque extensorum? Potius ex praxi Laudati Autoris salubria monita de rite instituendâ sanguinis missione reproduco, & testimonium B. Avi addo, tanquam non autoritatem modò, quam veneror, sed & confirmationem veritatum practicarum longo usu approbatarum. Si hæc aliena quidem experientia mihi futuro practico diceretur sufficiens, quam sequar, vel pietas me defenderet. Prosequar tamen levi discursu theses meas, & cum placitis Aliorum tantisper conferam.

Video enim duo præcipuè ibi contineri, partim generale illud, de secandis *pedum* venis, partim ipsis mage proprium, de restrictiore sectione ad illas *pollicum* venas. Prior illa quidem se tuebitur ante omnia *Hippocratis* autoritate, cujus quosdam aphorismos describam & huc referam confirmationis gratiâ: Si prius obiter monuero, plura de hoc themate qui volet inventurum in *Zacuti Lusit.* med. princ. hist. Et quid non *Bravo* de suis Hispanis? sc. *Complutenses* contra *Hispalenses*: In malignis suadentes missionem ex talo *Ramirez*, *Rodriquez*, *Henriquez*; hunc quidem ubique limitantem: contra *Calderam*, qui in materialibus & capitalibus omnibus instituat. &c. Quibus missis, ex *Coo* decerpam aphor. inter novos *Sponii* 88. 89. *s.* 5: *In dorsi & coxendicum doloribus, ex poplitibus & malleolis externis venæsectiones fieri debent. In lumborum verò & testium doloribus, sanguis ex poplitibus & malleolis internis mittendus.* Ad hanc quoque regulam fieri videtur, quicquid in sectione *saphænæ* tentatur pro utero expurgando. Ubi rectè Ille: Si unquam habendus est delectus temporis vel venarum incidendarum, reverà is in curâ *fœminini sexûs* est habendus. Item huc spectat, quod in manuscr. avito pariter lego, de venulis *minorum* digitorum pedis ad *ischiadem* sectioni pariter destinatis. Aliàs cautum esse volunt practici: Ischiadicam pedis afflicti secandam casu concentrati magis in coxâ doloris; quod si verò hic diffundatur per pedem & descenderit, alterius pedis venam fore tundendam. *Hippocrates* porrò d. morb. mulier: *Si prægnans diutius immoretur, & parere non possit, sed pluribus diebus partûs doloribus discrucietur, sit autem juvenis & ætate florens, multoque sanguine redundet, venas in malleolis secare oportet, & virium*

habitâ ratione ſanguinem detrahere. Tranſeat hîc de venæſectione *pedibus gravidarum* interdictâ, ſed ultra medium progreſſarum, ad terminum propiùs accedentium, præviâ maturâ deliberatione, concedendâ, quæſtio, reſervanda occaſioni alteri: *puerperarum* tamen non meminiſſe nefas foret, quia non deſunt nuper feliciter enixæ, floridæ priùs illæ & vegetæ, jam verò periclitantes in acceſſu acutæ febris, ſub paucitate vel nullitate lochiorum, queis tempeſtiva profuit pedum venæſectio. Tandem *Senex Noſter* d. Superfoet: *Quæ citò concipiebat, ſi concipere deſinat, bis in anno manuum & crurum venam ſibi ſecari jubeat.* Etenim huic ſubjungi meretur ille Ac. Nat. Cur. Præſ. *B Volcammeri* aphoriſmus in E. N. C. 2. 10: *Quibus fœminis menſtrua fluere deſinunt, ſi quandam pedum venam illo fluxus tempore quater ſequente anno ſecuerit, ſibi de cancro commodè prævidere poterit.* Accedat pro complemento clientis Hippocratici *Baglivi* aphorismus è prax. 1. 13: *In malignis febribus dum ſanguis mittebatur ex brachio, æger in pejus ruebat, & totus morbi impetus ferebatur ad caput, undè paulò poſt deliria, ſopores, &c. contrà miſſo ſanguine ex pede melius habebant.*

Non abs re videtur fore, ſiquidem illuſtrationis gratia huc referantur pauca de ſpecialiore *venarum* aliarum *ſelectu*, non majoris quidem illius, raræ adhuc inter nos apertionis, *jugularis*, per quam proximè conſulatur capiti & efficaciter, cujus laudes videſis per *Boneti* ſepulcr. loco non uno; ſed noſtris ſimilium & æqualium, i. e. minorum in extremis. Hîc enim primum iterum locum habeat illa *frontis*, quia expreſſum habet textum Hippocratis, ſc. aph. 68. ſ. 5: *Cui poſtica pars capitis dolet ſecta in fronte recta vena eſt adjumento.* Dedit ut ſolet brevem & huic commentarium quem laudavimus *Heurnius*. Sequuntur illæ *ſub linguâ*, anginoſis ſub cautelâ deſtinatæ, quin & prunellæ malignarum; his quoque *raninis* inciſis loquela ſtatim rediit aphono in obſ. 1. *Lanciſii.* Nec extremo *naſi* parcitur; quod & in cap. d. ictero præſcriptum legi. Parallelæ magis inferis pedum videntur illæ *manuum* ſuperæ venæ, famoſæ inprimis duæ, pollicis quidem *cephalica* item credita, annularis autem *ſalvatella* dicta. Non undecunque compilabo prætextus, ſed dabo hiſtoriam alienam quidem & paradoxam, Autore tamen ſuo dignam, prolixum verò doctumque commentarium dabit *Lindanus*, ſc. *Oenradis famelicoſi* ex Hipp. epid. 5. 2. 6. Nec tamen grave ſit ipſam &

hîc

hîc legere. Ita autem se habet: *Apud œniades vir morbo habebatur. Quoties sine cibo esset, sugebat ipsius in ventriculo fortiter & cruciabatur. Et quum pasto cibi essent contriti, ac tempus interveniret post comesturam cibi, non diu pòst, idem patiebatur. Et tabescebat corpus & liquescebat. Neque ali ipsi contingebat ipsi ex cibis edenti. Sed secedebat cibus pravus & combustus. Quum verò recens pastus esset, hoc temporis ipsum minimè sugebat, vel dolor habebat ipsum. Hic medicamenta bibens omnigena & supra & infra, nihil proficiebat. Verum venam incisus per vices in utraque manu donec exsanguis fieret, deinceps profecit, & liberatus est malo.* Nec aliud salvatellæ laudibus dabo ac illud *Scholæ Salernitanæ*: *Ex salvatellâ tibi plurima dona minuta, Splenem, hepar, pectus, vocem, præcordia purgat, Innaturalem tollit de corde dolorem.* Liceat tamen addere illud *Eric. Mauritii* ex ENC. 6. 218: salvatellam præ cæteris venis attrahere melancholicum humorem, veramque esse antiquorum, quod & recentibus experimentis constet, sententiam, in morbis lienis illam rectiùs quam alias aperiri. Etenim Lazuli lapis à frictione manui non perindè alibi, ac eâ parte quâ salvatella est, ad hæsisse ipsi visus fuerat.

Declarare ulterius thema meum studebo per observationes practicorum selectiores. E multis modò sunto tres: *Prima* sit *podagricorum*, qui *Baglivo* interprete proponunt signum veluti characteristicum jam jam advenientis paroxysmi, venarum sc. afficiendo loco circumpositarum protuberantiam; queruntur, quietem nocturnam interrumpi à dolore pollicem pedis ut plurimum, hinc officula tarsi & metatarsi, maximè in articulo ad pollicem, quandoque verò calcaneum aut malleolum occupante, quin ultrà crescente, cum sensu veluti canis rodentis; &c. Ne sordes quidem inter pedum digitos prætermitterem, nisi delicatiores fœtor offenderet; quo se tamen ipsos liberare nequeunt. *Altera* sistat singularem fatalitatem mortis incipientis à *pollice* pedis *sphacelato*, & miro modo vel tardo motu vel celeri cursu progredientis sursum; Nam & urbs & patria tristium talium fatorum meminit: Interim videatur *Gemursa* Cel. Eph. Nat. Cur. Direct. *Locbneri* in Centur. Observ. nr. 192. *Tertia* specialius concernet *problema Kosaccianum*: Rationem reddere, cur ulcera sint frequentia in medio pedis, ubi sc. videntur hærere crassiora & salsiora, quæ ulcerant, præ femore, ubi sanguis

ad-

adhuc per uterum, hæmoides, &c. exonerare se potest, & præ pede parvo imo, ubi in ungues & callos subsidet, desinit & coalescit? Prolixiùs talia diduci mererentur quàm pro conditione paginarum, quippe majoris momenti: Pro aliquâ confirmatione accedat testimonium ex *Actis Nat. Cur. Uratislav* ann. 02. de insigni usu *vesicatoriorum* in *suris*, quando ægri torquentur *asthmate*.

Quod si jam rationes poscas thesium, quas & analogismus reddit verosimiles, tum modus quidem agendi chirurgiæ illius & explicandi beneficium ab illâ obtinendum, ad duo videtur redire capita: *Revulsionis* & *Præoccupationis*. Huc itaque spectat illa *Diversionis* doctrina, Veteribus ut dictum debita, postmodùm ab invento sanguinis circulo in dubium vocata, sed quæ nuperis annis meruit revocari, & probari voluit, non adversa rationibus mechanicis, quæ observationibus est conformis. Iterum *Hippocrates* d. off. natur: *Danda est opera, ut quàm maximè procul à locis, in quibus dolores fieri, & sanguis colligi solet, venæsectiones faciamus: Ad hunc n. modum continget minimè magna repente mutatio, & translatâ consuetudine efficiet, ut ne amplius ad eundem locum coeat.* Sic consuli poterit tempori non tam præsenti, quàm & prospici futuro: Nec ad patulum modò apertæ venæ foramen determinatur natura, sed ad inferiora emissaria simul invitando quasi manu ducitur. Per τὸ præoccupare autem id volui, quod simile avitum innuit, sc. præscindi *radices*, ut sistantur *germina*. Ita radicem morborum quærendam in pedibus, cautâ missione sic posse intercipi, ut ne ferat *fructus* per corpus superum. Talis sive demissi sive per moram subtus geniti fermenti, contagii ascensus ad paroxysmos gravissorum affectuum, pars est non parva libri laudati, quem qui plura desiderat quia meretur evolvat ipsum talium curiosus; quin & cum Arthritide anomalâ *W. Musgrave* conferat. Dicam, ut tumores & aperturæ venarum inferiorum sæpè bonum reputantur, tam ut *signum*, quàm ut *causa*; sic etiam à tempestivâ tali emissione sperantur meliora in raptu sanguinis ad caput: *sæpè medemur*, ait Ille, *capiti, pulmoni, cordi, ventriculo, aliisque superioribus membris solis, cùm tamen inferioribus potiùs occurrendum esset.* Utrum hîc aliquid momenti & illud importat, quòd in extremis *desinentes arteriæ venis nascentibus* proximæ expeditiorem hinc videantur promittere exitum sanguini non tam ultimo stagnanti quàm ultimo urgenti?

Item,

Item, quòd hîc subsit ratio non *extremi* solùm, sed & *infimi*, ad prærogativam sectæ hîc venæ præ illâ manuum, pro scopo revulsorio in gratiam affligendarum sed ita liberandarum superiorum partium. Equidem si rectè memini *Helmontianum* hoc est, in vivo non esse superum & inferum, sc. omnia fluunt per circuitum, dum viget natura sana: sed quàm ægrè ægra ipsa superet gravitatis momentum vel turgens & scatens sero pedum moles docet. Quin tertianæ paroxysmus non benè desiisse censetur, nisi calidus mador descenderit ad & pervaserit extrema pedum Quòd verò non una sed *utraque* pollicum vena secari jubetur, utrum id censebimus factum ex ratione largiùs obtinendæ evacuationis & diversionis efficacioris? An ad evitandam revocationem fermenti ex pede altero in sanguinem & commixtionem, pro novo sed importuno ad nobiliores partes decubitu. Aliàs in scholâ salernitanâ: *Ver, æstas, dextras, autumnus hyemsque sinistras.* Nec desunt, qui suas ament cruciatim instituere sectiones hinc brachii indè pedis, itidem vel simul vel brevi sese exc pientes.

Quæ supersunt rationabiles etiam videntur *circumstantiæ*: Concernunt autem pleræque omnes speciale *tempus* anni, diei, sexûs, morbi. Non est, quòd *Astrologorum* causam hic agam, quamvis *B. Avum* & hâc quondam arte inclaruisse audivi, medicus tamen non erit superstitiosus, qui in re dubiâ, lite nondum decisâ, suspecta Illis tempora evitare, favente cœlo suas instituere operationes, ubi sc. necessitas quæ legem non habet præsens auxilium non poscit, vel condescendendo vel tutius in omnem casum eligendo, determinaverit. Sive quis *lunam* potiùs velit observare, vel numerando dies à NL, haberet in *Virgilio*, quo se defendat, vel novæ, plenæ, &c phases attendendo, patrono gaudebit *Richardo Meade* de solis & lunæ imperio in corpora humana, & morbis indè oriundis, aut zodiaci denique certa signa seligendo, *Tilemanno Coo* se tuebitur; sive *solis* etiam rationem addere voluerit, non habebit contradicentem, nisi æquinoctiorum & solstitiorum malè incurium. Sed transeant ista modò: Cur solitum VSectionis tempus antemeridianum non servetur, ratio quidem videtur facilis: hoc enim fert *serus vesper*, quod hîc præcipuè attenditur, prætenditur indicans, sc. venarum plenitudo & turgentia magis conspi-

cua, ipsi operationi favere videtur, quin ipsam quasi invitare. Quæ de *motu humorum* per *anni* æquè *ac diei* partes cana nobis reliquit antiquitas, pondus addent huic observandæ circumstantiæ. Porrò tempus hanc VS. potiùs declarat *præservatoriam*, quàm *curatoriam*; priore respectu monetur, melius esse prævenire quàm præveniri. Est hoc è differentiis morborum accidentalibus prædicatum multis competens, esse periodicum, concedere intervalla: hæc notare, hanc agendi occasionem captare, prudentis est. Temporibus medicina valet. Qui ergò quasi sedimentum ad inferiora remittendum vel præcipitandum expectat, non tantum sibi promittet sub tempore jam factæ, sursum propagatæ, actu durantis confusionis humorum, quàm ad aut post finem paroxysmi, sub intermissione, per intervalla lucida. Quod si morbus *intermissionem* non ferat, tum *remissionem* (vel primo obtutu in tabula pyretologicâ *R. Mortoni* obviam) expectandam, observandam vult monitum practicum. Quid verò quòd hæc demum *procuranda* videtur, in acutis somnum prius esse inducendum suadendo. Quâ nam hic, si declinatio minùs vel tardiùs sit speranda, ratione meliore conciliabitur, tutò? Alibi *Kozakus* hoc scopo laudat, & dormitum ituris exhibet, diaphoreticum anodyno permistum acidiusculum redditum aliquot guttis spiritûs vitrioli; de quo & salibus, quæ huic etiam intentioni convenirent, infrà. De suo autem sale vitrioli narcotico volatili *Hombergius*: Il ne fait qu' appaiser la fieuvre, & le transport, pour un temps, sans le guerir; car si dans cet intervalle de tems on ne chasse la cause de la maladie par les purgatifs, la fieuvre & le transport reviennent.

Quanquàm expectandum omninò, quid thesibus istis suo tempore sit opponendum; licebit tentare tamen, num in antecessum uni alterive dubio possim prævertere. Quod si ergò videatur alicui *non promptè satis* juvari æger sectâ dicto loco venâ, ac si alibi institueretur venæsectio largior: Illi pro responso sit casus necessitatis in urgente plethorâ & orgasmo fundatus, & exemplum maniacorum suprà agnitum, qualibus & majora vasa & detractionem per vices liberaliorem poterit dare; sive ut *Bellini* verba suppleam, cùm morbus distributus fuerit per omnia vasa sanguinis, perindè erit, è cujuscunque partis venâ educatur, modò servetur proportio

emissa;

emiſſariorum & compreſſionum: Nunquam tamen ſepoſito reſpectu partium nobiliorum, quibus minari magis videtur ſanguis per circumſtantias perſonales. Si porrò inveniantur *venæ* pedum *exiles* nimis & *graciles*, quàm quæ commodè aperiri poſſint, quippe chirurgi aciem ſæpè effugiunt, vel è quibus multum cruoris obtineri poſſit, cùm utique è patulo fortè foramine *parum* vel *nihil* fluat, dum hîc ſpiſſus, alibi ad locum ſectionis non præſens ſed neſcio cur averſus eſt: Tum præter reſponſionem, evacuationes ſalutares non ſemper *quanto* ſed & *quali*, *tempore* & *loco* æſtimari, illud omninò addendum erit, eam ipſam ob cauſam commendari blanda *pedilavia*, non uno horæ quadrante præmittenda venæſectioni, ſed in caſu & pro ſcopo præſervatorio certis horis per diem unum & alterum. Indè ſi vel maximè *primâ* vice obtineatur parum, *ſequentibus* tamen ſpes eſt fluxurum plus ſanguinis, Iſta enim fieri volunt non ſemel, ſed repeti per menſes, per annos. Quod ipſum tamen eſt, quod etiam ex adverſo poteſt & ſolet moveri, ſc. *introducendæ metus ſervitutis*; quem facilè tamen declinabit uſus deprehenſus ſalubris. Prioribus autem venulis parvulis ſubſtitui adhuc poſſunt *alii*, quibus vaſa pedum plena in propatulo jacent, nec calore aquæ ut evocentur, nec ligaturâ ut repleantur, opus habent, apertæ extra aquam, ſoluto vinculo, ſaliunt, fluere vix deſinunt per ſe, omnique hoc phænomeno aliam clariorem *turgentiam*, quàm illam purgationis indicantem, oculis exhibent: Qualibus proin theſes iſtæ potiſſimum convenire videntur. Denique auditur objectio paſſim, invitari multum impurum, ad pedes, *enervari* ipſos, per iſtas venæſectiones, ut à decubitu humorum ibi tumores ſint metuendi & ulcera pedum. Quod tamen ab operatione ritè inſtitutâ non ſolet obſervari; quin imò, cùm plures inter nos ſint ulceroſi vel ulceroſæ pedibus, quàm hiſce venæſectionibus aſſueti, illam potiùs invertendo, huc retulerim, quod in *Paracelſo* me legiſſe memini, conſilium, de annuâ apertione varicum pro firmâ curatione *der offnen ſchæden*.

Verumenimverò ſatis, ſi non nimis, eſſe datum videtur venæſectioni. *Miſcellaneas Theſes* inſcripſi, ergò quod reliquum eſt dabo uni adhuc & alteri ex *methodo medendi* & *materiâ medicâ* ſelectæ: Sic

 Ad-

Adverſus Vertiginem diuturnam deprehendo laudatam poſt Emeticum Aegagropilam.

Hanc theſin ideò excerpſi, quia nititur obſervatione propriâ, cùm *Se Ipſum* ita curaſſe ſcripſerit Medicus. Ex circumſtantiis colligo, Ipſum mediæ tunc ætatis virum durioris primò vitæ per itinera & militiam, obnoxium diu, ad tres annos, vertigini, frequenti ut ſuſpicari fas eſt & periodicæ, ad hanc curandi methodum deveniſſe poſt uſum, ſed fruſtraneum, variorum oleorum, balſamorum, elixirium, &c. ex- & internorum. Ubi apud animum utique reflecto ſuper diverſam conditionem talium ſine optato ſucceſſu aliquandiu uſurpatorum, ad benè diverſum quoque judicium: Non mirum eſt, à vanis nihil laude dignum obtineri, ab incongruis etiam damnum dari, ut optares talia fuiſſe omiſſa; Quòd ſi verò fuerint præmiſſa ſalubria quidem, ſed vel non ſatis continuata diu, vel quæ ſola non ſuffecerint, aut quæ viam tamen paraverint ſecuturis, tunc ultimum utique quod juvit ſuæ manent laudes, ſed ita, ut ſuam quoque ſibi partem vendicent priora. Verùm hæc omnia meliùs jam olim expedivit *Præſidis B. Parens*, ſing. diſſ. cui tit: *Obex curationis morborum, tam frequens quàm gravis*; hanc legiſſe juvabit. Hinc obſervo uſum *Vomitoriorum* in Laudatâ Praxi loco non uno ita præſcriptum, ut nec temerè nec timidè ſed circumſpectè ad ipſam non modò eorum præparationem & doſin, verùm etiam ad cauſæ exigentiam & ſubjecti tolerantiam reſpiciendo prudenter accommodare ſoleat, moneat. Placuit forma *Vini Emetici*, infuſione *Croci Metallorum* à gr. v. ad vij. per noctem parati, â pulvere decantati, pro hauſtulo jejunis dando, cum regimine; undè vomitum vel alvum, vel & utrinque motum iri notavit. Dixero conformem hunc proceſſum aph. 17. ſ. 4: *Non febricitanti cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo, purgatione per ſuperna opus eſſe ſignificant.* Eandem naturæ tendentiam obſervari etiam voluit Exc. Dn. D. *Zeller*, Patronus & Promotor Honoratiſſimus, ad Theſ. Inaugur: *In curatione Tympanitis multum præſtant Vomitoria.* Quia ſimiliter procedentem nuper legi *Arch. Pitcarne* Diſſ. VI. igitur & Hujus ratiocinia proponam: *Moneo in vertigine à ſalibus volatilibus eſſe cavendum, eaque exhibenda, quæ rareſcenti ſanguini ponunt obicem; Loquor de curatione, quæ poſt evacuationes*

neceſſa-

necessarias instituitur. Evidens enim est, in vertigine idiopathicâ, non minus quàm in apoplexiâ, arterias & venas esse secandas; at in alia omni oportet vomitum ciere, & multis quidem de causis. Primum enim vomitu sordes ventriculi eluuntur, liberiorque datur exitus perspirationi, quæ suppressa sanguinis molem eousque auxerat, ut invaderet vertigo, ratione à Bellinio explicata. Deindè everritur liquor, qui paulo post sanguini commistus, aut molem aut rarescentiam nimiam & vertigini producendæ parem intulissent. Neque desunt alia vomitum sudentia, ubi morbus ab inquinato ventriculo repetit natales. Sequitur *Aegagropilæ Veræ* usus, sc. remotis primarum viarum obstaculis, specifici alterantis post operationem evacuantis altero die inchoandus, in aquâ appropriatâ primùm à quinque granis, & hinc per dies novem cum grano singulis ascendendo continuandus; sub spe, hâc curatione utut aliis fortè non tanti habitâ obtinendi, quod mireris, gaudeas. Ne quid subticeam; aliquam huic glomeri etiam quà *Amuleto* sub axillis gestato vim attribuit. Bonâ verò fide vertiginosos monitos voluit, ut à fumo tabaci & veneris abusu sibi caveant. Nolim hîc actum agere, & post *G. H. Welschii* diss. sing. in fibras & pilos tam herbarum, *doronici, reguli alpium*, &c. quam *rupicapræ*, excelsarum alpium incolæ, & hinc succo quocunque mediante cohærentes & convolutas pilas, earumque locum ortûsque modum inquirere; aut producere, qui viribus laudatis hinc indè præsumunt contradicere: Nec modum agendi jam eruere allaborabo, titulo *Specifici* deterritus, utpote cujus definitionem qualitas occulta ingreditur. Quam in genere quisquis ferre nequit, per causas reddat clariorem, si priùs ipso usu fecerit certiorem. Ultimò, cum adversus minas terribilis hujus affectûs etiam suum Lunæ pulverem laudaverit B. Practicus, occasionem dedit ulterius proponendi thesin sequentem:

Chymicorum Lunam in curatione morborum capitis passim præscriptam quia reperio, hoc etiam specificum minerale liceat producere.

Fuit Ipsi quidem *Pulvis* etiam *Solaris*, quo claruit, sed non est hic locus expositioni omnium: Talium curiosus in procurandâ conjunctione solis cum mercurio, hinc aquæ non madefacientis manus chymicorum in pulverem conversione, se exerceat, & in usum vocandâ cautus procedat. Si quos sequatur desideret, consulat *Experimenta Osiandrina I. U. R. D.* Mihi modò manuscriptum

ptum meum dabit *Argenti calcem*, eamque duplicem: unam *lunæ foliatæ* cum tantillo *ſulphuris* in crucibulo calcinatione paratam; alteram ex ſolutione *lunæ puræ* cum *Spiritu Nitri* factâ per commixtionem cum multâ *Aquâ Salsâ* præcipitando obtentam. Prior erat pro infuſione cum Fontanâ vel deſtillatâ Cephalicâ temperatâ, ut habeatur *Aqua Lunaris*, uno & altero cochleari danda per horas in phreneſi, maniâ, item ante paroxyſmos intermittentium, &c. quin & cum *Spiritu Mellis* benè parato, quâ ratione tinctus liquor audiit *Anima Lunæ*, parcè cum pluſquam vigecuplo *Spiritus Cephalici* rariùs præſcripta. Calx altera frequentioris Ipſi fuit uſûs, ſub titulo *Magiſterii Lunæ*, vel *Pulveris Lunæ Magiſtralis*, exhiberi ſolita vel ſimpliciter in conſervâ roſarum, doſi pro adultis & firmis granorum 4. 7. aut cum *cinabari*, *antimonio crudo*, (hoc enim non præparato, in pulvere ad pauca grana, & tutò & cum fructu ſe uſum ſcribit.) pluribusque *cephalicis* aliis. Quod, ut ulterius declarem, præcipuè in affectibus capitis pulcrum laudatur arcanum, antequam cubitum eatur exhibendum, noctibus vel alternis, dum intermediis e. g. maniæ laud. opiatum deſtinabat, vel plurium pro re natâ intervallo, velut hypochondriaco-melancholicis in ſpecie lenem, quo ipſis quidem opus eſt, ſomnum indè promittit; epilepticis ſpecificum, apoplecticis præſervativum, &c. laudat: Præmiſſis tamen juxta medendi methodum pro ratione circumſtantiarum perſonalium ſanguinis miſſionibus & purgationibus, quas inter quæ cum *extracto hellebori nigri* ritè parato fiunt ſæpiùs citari meruerunt.

Hîc autem lites iterum minari videntur Alii ex capite non uno. Primi erunt, qui capiti *ſpecificam* lunam negabunt, prætendentes fore vim cephalicam *menſtrui*, quo cum parari ſolent dicendæ *Tincturæ*, non argenti. Quibus ego quidem opponerem turbam chymicorum, & patronos ſpecificorum, qui nondum ſilent, niſi mihi modò ſufficeret laudata Autoritas. Interim ſuas menſtruo laudes concedo, ſed non in excluſione ad lunam, etiam ſolam, ſine ipſo paratam & datam. Sequantur, quibus Luna, quia *veneris* nunquam expers, ſuſpecta eſt: Proditur autem hoc alienum metallum, malè audiens ob *emeſin*, quam ciet, vel ex ipſâ calce, per *Spiritum Urinoſum*, pulcrâ quidem ſed eo ipſo non puræ

tin-

tinctura lunæ *cœruleâ.* Quid his responsi destinabo? Utrum, vomitu capiti aliquando prospici, cujus modò specimen præmisi. Vel, num advocabo Patronos *Tincturæ Martis Coeruleæ*, quippe quam eadem vexat censura. Ne quid dicam de Aliis, qui cupri tincturis & vitriolis convenienti menstruo & reiteratâ crystallisatione benè præparatis cautè & dextrè uti norunt. Sc. parcas talium doses destinando personis, quarum primæ viæ ipsis sunt ferendo, & morbus ista exigit. Verùm hæc modò transeant. Tradam potius *Docimastis* Lunam pro posse *refinandam*, ut liberior possit usurpari tutiùs, aut perpaucum quod superest alieni non prævaleat. Quid si propositæ calci lunæ spiritus ammoniacalis quò usque tingitur venerem extraxerit, quid inquam de residuo videbitur, jam puriore, ulterius recluso, & volatilisando? Claudant agmen, qui novas facultates à compositione metallorum & salium oriri meminerunt, in specie *lunæ crystallos* hydragogum drasticum, *lapidem* lunæ *infernalem* causticorum principem nil nisi lunam acido nitri nuptam norunt: hinc sibi à rosionibus internis metuunt. Equidem per istam operationem chymicam bolus acido è faucibus videri posset excussus, adeoque libera luna à spiculis aquæ fortis: Nihilominus *magisteria* pondere aucta, præ metallo ad solutionem adhibito, satis probant, detineri adhuc plus minus sive de solvente sive & de præcipitante ut cumque ita fixato. Interim calcis per aquam frequenti eluitione, & *spiritûs vini* super exsiccatum pulverem accensione, mitigari calcem, non vana spes est, non injungitur cautela supervacua. Sc. in universum metallica omnia & parare & usurpare doctus & cautus esto practicus, vel abstineat. Philosophi autem duplex hîc haberent phænomenon, quo declarando benè mereri possunt: sc. cum *R. Boyle* d. form. & qlt. orig. producendi saporis *amari* Lunæ, *dulcis* Saturni ab eodem acido; & cum Alchimistis, in præcipitatione uti tam diversa, sic & Lunæ è nitroso acido per *Salis* non modò *Aquam*, sed & *Spiritum*, hinc enim fit & audit *Cornua.* Denique quandoquidem *Bezoardici Lunaris* mentionem quoque ibi factam invenio, & *Diaphoretici Martialis* famam modernam observo, specificum cephalicum simile requirentibus, *Diaphoreticum Lunare* proponere fas esto. Parcus & in selectu remediorum cautus *Dan. Ludovici* simplicissimum nostrum lunæ finæ ex aquâ forti cum muriâ præcipitatum magisterium,

tanquam præ eo quod cum alcalibus præcipitatur (ni admodum edulcoretur) longè acceptius, ſubtilius, atque alios etiam in uſus ſingularius, tam per ſe, quàm cum antimonialibus calcibus, (*antimonio diaphoretico, diaphoretico minerali*) dari poſſe docuit, monuit.

Mirabar conſpiciens in cenſu polychreſtorum inter exotica rariora etiam Fel Hyſtricis & Capricorni Sanguinem ab Ipſo ante tot luſtra recenſitum.

Per itinera in talium notitiam veniſſe oportuit, quorum alibi fama utique percrebuit, uſus autem his in locis necdum invaluit; quo parciorem eſſe mihi æquum eſt. Ipſe igitur paucis quidem inter ſpecifica graviſſorum affectuum, uti ſunt antepileptica, recenſuit *fel hyſtricis*, ſive *porci marini*: Et hoc ipſo mihi in memoriam revocavit, tum quæ de *Fellis* ex uno & altero animali *uſu*, interno, tum quæ de *Lapide Indico, pierre de porc*, ſummi pretii novo remedio, hinc indè legeram. Huc enim omninò ſpectare videtur famoſus hic lapis, ſiquidem juxta *Helvetium*, trait. des malad. reperitur non alibi ac in veſiculâ fellis *du porc epic*, dicitur eſſe non aliud, quàm bilis petrefacta; cui fato & homines & bruta ſæpius obſerventur obnoxia in malaccenſi indiæ or. regno; (ut ita, quod in ſe morboſum eſt, fiat alteri remedium.) habere ſaporem amaro-dulcem non ingratum, &c. A quo proin alium eſſe oportet lapidem, dictum quoque porcinum malacenſem, piedra de puerco ſpin. quem *S. Dale* in app. pharmacol. *Aegagropilum* (ſit venia verbo) potius deſcribit. Verùm iſta viderit curioſorum induſtria Uti quidem *Hippo-& Bulithorum* naturam & uſum jam olim tradidit Ill. Ac. Nat. Cur. Præſes, *Dn. Schroeck*, Eph. a. 4: Singulari autem ſtudio Celeb. Dn. *D. Valentini* tam in Muſeo paſſim, quàm inter Exot. Polychr. & Hiſtricinum lapidem & animales reliquos expoſuit, etiam de ſuccedaneis benè ſolicitus. Medicorum eſt uſus infuſi lapidis prioris in aquâ ad ſtuporem magnus, per exempla l. c. declaratus. Qualis ergò & quanta ſit prærogativa lapidi iſti præ ſimilibus è veſiculâ fellis, imò præ bile ipsâ, certorum animalium, licebit quærere? Equidem ſpecificus & ſingularis ille flavus & amarus liquor, cujus geneſin mirabatur *philoſophus per ignem*, (ſcilicet ex aquâ piſces, pecora ex gramine, bilem conficere.) externo paſſim deſtinabatur uſui, tanquam abſterſivus, coſmeticus, uti ſaponaceus eſt, & dicitur in *memoir. de l' acad. d. ſcienc. a. 09*: ſuſpicionem

autem

autem usûs etiam interni paradoxi, quia nobis in ſtomachum regurgitans nauſeæ eſt & vomitum movet, ſalubris tamen, ſi bilis defectum ſuppleverit, aut alliciat motum ejus ad & per inteſtina, (num & ultrà extendere fas eſt agendi modum?) usûs, inquam, talis, utut parci, mihi non vanam dederunt verba Avita. Admirationi fuit ophiomaſtix *Fr. Redo*, fel viperæ dimidio cyatho frigidæ miſtum impunè hauriendo; in *app. E. N. C.* ann. 1. Atqui anguillæ hepar cum ſuo felle parturientibus laudarat *Helmontius*. Indè *Sponius* obſervatione ſuâ (tam *bilem ſerpentum* americanis, quàm finnis *urſi bilem* febricitantibus, pariter eſſe remedium; quin extendi ad morbos tantum non omnes.) monuit, cogitandum eſſe de talium amararum guttarum ulteriore uſu, prudente ſelectu per ſpecies animalium, & comparatione amari animalis unius cum amaro vegetabili multiplici. Quod nam tali bili vehiculum convenientius? Utrum, aqua quædam deſtillata, aut vinum, pro infuſo? an pro tincturâ vini ſpiritus? qui bilem aliàs cogit & quaſi condit. Hinc ad ipſam conglobandam in ſimile concretum, quod Lapidis medicati titulum mereatur, num ſufficiet miſceri, ſiccari cum terreis; an & ſpiritu, vel acido, videtur opus? Variant enim ipſi è fellis veſiculâ vel exemti vel excreti calculi. Vaccinum duriuſculum, *ſplendentem*, unum è ſex ſimilibus; Item *ſabulum* è cyſti felleâ vaccæ alterius flavum aſperulum qs. ramoſum in copiâ, nuper obtulerunt Commilitonum Curioſi: At qui leguntur triangulares in Lithogeneſiâ *B. D. Mezgeri* videntur aſpectu magis *ſapo* quaſi concretus, quàm lapides. Hâc autem occaſione citari quoque meretur *B. D. Brodbeckii* curioſa chologevm. tractatio; ne benè meritorum ſubrepat oblivio. Iſta verò non in gratiam exoticorum vel pretioſorum dicta velim, nec ad ulteriorem materiæ medicæ jam dum prolixæ nimis amplificationem, ſed ne quid profuturum ſeculis maneat intentatum, ſive alibi ſit quærendum, ſive inter nos ſit obvium, vel habeat ſuccedaneum, occaſione datâ per internum bilis uſum paucis volui deducere.

Sed pergendum eſt ad alteram partem theſeos, ubi ſanè occaſionem de *Capricorni ſanguine* cogitandi, cum *lapide bezoar* æquiparandi, quin huic illum præferendi, videtur dediſſe non tam animal Ipſi conſpectum, cujus dicebatur eſſe lapis, capricorno comparatum ferociâ & aſpero ſummorum montium loco, quàm lapidum iſtius-

 modi

modi per europam copia major, ac quæ pro raritate omnis ex oriente venire poſſit, hinc ſuſpicionem movens, veris & genuinis multos vendi mixtos adulterinos. Equidem *factitios* ſimpliciter contemnere non auſim; laudantur enim *Bezoar de Goâ*, & lapides alexi pharmaci à *Cnoeffelio* in *app. E. N. C.* a. 6. *Fullero* in pharmac. deſcripti, vel ſimiles parandi è probatis ingredientibus: Vero tamen & probato Bezoar orientali ſua per me maneat dignitas. Novum autem & hoc remedium, Capricorni ſanguis, quanti æſtimetur alibi, e.g. in galliâ *le ſang de bouquetin*, recentius teſtimonium perhibet *Helvetius*, recueil d. method. & de pedemontio Exc. Dn. D. *Elias Camerarius*, Patronus Honoratiſſimus. Raro huic & officinis noſtris adhuc ignoto cruori quæruntur ſuccedanea; quorum ductu quidem occaſio rariorem uſurpandi & prærogativa hujus poterit declarari. Sanguis enim Hirci, etiam ſimpliciter ſiccatus & toſtus, non ſaltem Helmontiano modo obtentus, ſcopo ſanguinem reſolvendi celebratur paſſim non ſolùm in Pulveribus ad caſum, verùm etiam ad Pleuritidem, ut ſpecificum: Ita ſanè B. Avus ipſum laudavit, tempeſtivè tamen exhibitum, non ſerò nimis, & formato jam abſceſſu, ſed per principium, tunc præmiſsâ venæſectione uſu ejus medico calorem, puncturas, tuſſim mitigatum iri, ſpem fecit bonam. Non ergò animus eſt ſanguine hirci ſolvere *Adamantem*; ſed humanum ſanguinem periculum grumoſæ concretionis intra nos ſubeuntem reſolvere ſcopus eſt, exhibendo cruorem ita ſiccatum, ut non modò rubrum illud, quod globuloſum aliàs in aquâ natans microſcopia diſcernunt, ſed & gluten lymphæ, abacto caloris vi ſero reſiduum, concludat. Qui ulterius proſequi voluerit differentias ſanguinis, quorum animalium celerrimè ſiccetur, quorum non coeat, quorum craſſiſſimus, quorum tenuiſſimus, juxta ductum c. 38. l. 11. *Plinii* poterit pergere. Laudatis Viris videbatur præferendus hirco capricornus, (in zodiacum ſublatus, B. *Schikardo* Azazel, cur in piſcem deſinit?) non ſimpliciter, quia rara cara, quàm ex ratione potiùs duplici, unâ ut ſic dicam *à priori*, quandoquidem animal vivax, alpium incola rigidiſſimarum, herbis nutritum ſaluberrimis, jugis motûs, ſanguinem promittat puriùs exaltatum, alterâ per chymicam analyſin *à poſteriori* demum innoteſcente, ſiquidem ſanguis hic contineat, ſc. materialiter, per deſtillationem verò ex retortâ præbeat formaliter, ſalis volatilis plus duplo, ac hirci ſanguis. Hinc eſt, quòd drachmam integram ſanguinis

guinis hirci, cervi, vervecis, diligenter præparati, capricorni autem drachmam modò ſemis pro doſi, poſt V. S. vomitum, purgationem, prout plethora vel cacochymia bil. pit. prævalere Ipſi videntur, ad reſolvendum ſanguinem in pleuritide & peripnevmoniâ extravaſatum & coagulatum exhibeat Laudatus Practicus, & æquiparet Maſſæ vel *Paſtæ* ſuæ *ſudoriferæ*. Quid & quantum in hoc effectu ſibi vendicent ſanguinis principia chymica, vel ſpecifica potiùs eorum mixtura, quin ſi placet ſignatura etiam, in reſpectu ad archeum, qui faber idearum occaſiones captat motuum ut ad morbos aliàs ſic & hîc ad ſanitatem, ne videar præoccupare omnia, conflictui reſervandum putem.

Quod ſuſpectum forſan & medicis oppugnandum potius quàm uſurpandum videri poſſet acidum, in laudatâ mihi praxi ſalubris at prudentis tamen usûs exhibet ſpecimina.

Externè quidem *acidorum* primus *ſpirituum*, ille *Vitrioli*, ſpecialiùs proponi meruit, tanquam quo locus à *cane rabido* morſus ſit illinendus quàm primùm, dum internè diro metui tempeſtivè occurri ſuadetur eſu fruſtulorum aliquot de ipſius rabioſi *hepate* aſſo; mirabili utique ſpecifico: Drachmam quoque ſemis *orichalci* ſcobis dari poſſe & ſolere additur, nec projectio læſorum *in fluvium* omittitur. Tranſeant interna modò, externum illud ſuis reſpondere indicationibus videtur. Deſtruendum enim eſt quantocyus quod ſuſceptum eſt venenum, delenda in fieri, in conceptu adhuc idea, & mortificando particulam per eſcharæ excuſſionem ſuppuratoria hinc depuratio procuranda, promovenda. Hoc aliàs actuali, hîc potentiali tentatur *cauterio*. Non auſim rabidi *virus* ad *ſalium* energiam referre ſimpliciter: Quia tamen *animale* eſt, *acido* infringi poſſe veroſimile eſt. *Specifica* quidem talia ſunt animalium venena; ſed & *viperarum*, *ſcorpii*, morſibus, ictibus *idem* externè hoc deſtinatur remedium. Ex ipſo effectu, prætenſâ *coagulatione* ſanguinis, argui voluit acidum tale venenum, velut in *memoir. de Trevoux* a. 13. *Lindero* viperæ illud *alcali oleoſum* dicenti opponitur ſpiritus vitrioli, ſimilis in effectu viperæ ſucco, ſc. *venis infuſus*, coagulando funeſtus. Sed enim, præterquàm quòd hîc modus applicandi variet, illam veneni animalis energiam experientia nondum ſatis determinavit: In *giorn. d' Ital.* T. ix, *Valliſnieri* nihil conſtans in animalibus viperæ

 morſu

morſu enectis deprehendit; quorundam ſanguis ſpumoſus, fluidus, aliorum grumoſus fuiſſe dicitur.

Alter acidorum è nitro cum vitriolo ſpiritus, *aqua fortis*, ſimili litu externo, extremâ pennæ plumâ peragendo, deſtinatur ibidem rubrè ardentibus & liveſcentibus maculis *gangrænæ* ſuperficiem extremarum partium occupantis & minantis ulteriora, graviora. Quòd ſi hinc illinatur moribundæ cutis portiuncula, tum nigreſcet quidem indè, ſat citò, ſed &, juvante levi ſcarificatione, ad cruentationem usque, quin & convenientis uſu digeſtivi, promovebitur mortui ſeceſſus, ut hinc vivi mundique ulceris per conſolidantia, ſiccantia felicior ſuccedere poſſit tractatio: Uti carbunculo *Bb. Anteceſſores* in Cons. d. Peſt. illos ſpiritus; & butyrum antimonii *Hartmannus* & *Jonſtonus* ipſi inter gangrænæ differentias ſeptimæ pariter deſtinarunt. Hâc ratione curari non vulneribus modò & fracturis artuum ſuperveniens gangræna, ſed & *hydropici* quidam à gangrænâ ſimul & hinc effluentis aquæ mole liberati dicuntur; quorum ſc. benigno fato viſcerum robur eluviei ſeroſæ tolerandæ aliquandiu, vel & ſuperandæ, par fuit, & quorum curationi non refragabatur *Hippocrates* & *Heurnius* aph. 8. ſ. 6. quales pauci quippe boni non tamen nulli.

Quid ergò non metuendum ſtomacho ab illis, quibus eſt vis ita corroſiva? Utique, niſi dentur parcè, tanquam condimentum, niſi diluantur, miſceantur, temperentur, quin imò niſi tribuatur cuique ſuum, ſc reſpectu ad perſonas habito, uti cavere jubeor, quos phthiſicam alere videro pulmonum diſpoſitionem;. dùm aliàs domi eſſe dicitur ſano ſenſu acidum in ſtomacho. *Uſûs* ergò *interni* ſpecimen primum invenio iterum in dicto *vitrioli ſpiritu*, ſed probè *dulcificato*. Equidem non ignoro, quàm urinoſi prævaluerit pasſim uſus maximè, quandò convulſum patitur ſyſtema nervoſum, ſed & obſervo, quàm non ſemper promiſſo gaudeat ſucceſſu: Quo magis operæ pretium videbatur, vel paucis mentionem facere inter alia cephalica nervina laudati quoque adverſus epilepſiam ſpiritûs vitrioli cum *vini ſpiritûs* non ana hîc nec duplo, ſed triplo, vel & ultrà, per digeſtionem juncti & mitigati. Talem quippe lego doſi 20. guttarum per aliquot dies exhibitum iri cum ſucceſſu. Bonâ iterum fide agendum, igitur & hoc addendum erit: ſubjungi hunc ſpiritum vitrioli dulcem ſcrupulo *cinabaris antimonii*, in vehiculo con-

venien-

venienti præmiſſo. Quæ quidem mixta digererentur ab Aliis. Cinabaris rationem hîc dare mei jam non eſt inſtituti. Quæ verò ſit illa ſpirituum: Utrum *novi* ex commixtione *producti*, apud R. *Boyle* l. c. & app. chym. ſcept. vel *acidi* ſic diluti & temperati potior ibi æſtimanda veniat virtus? erit inter themata pro conflictu. Interim quod *Kozakus* de illâ ſpiritûs vitrioli, non eſſe ita orificiorum adſtrictivam, quàm vaporum (quos ſuorum vincula ſpirituum dixerat) coagulativam & benè repercuſſivam. id *Ludovici* ſic expreſſit, ut manifeſtò non calefaciens, quin potius (ſive invertat, figat, aliâve nondum ſatis circa primas vias comprehensâ ratione agat) attemperans, & ſimul aliqualiter reſtrictivus ſit habendus.

Sequatur alterum ſpecimen acidi, ſed cum alio ſale compoſiti, ſpecies *tartari vitriolati*: Sc. Nitrum purum, cum ſpiritu vitrioli digeſtum, & deſtillando ſiccatum, novum ipſi ſalis ſchema præbuit. Fateri æquum eſt, uſum hujus fuiſſe non tam per ſe, quàm pro *Conſervâ* dictâ *Spagyricâ*, cujus illud Sal ingrediens traditur unum è præcipuis, æquivoco *calcis vivæ* titulo priùs occultatum. Maneant *Nitrum* hoc *vitriolatum* ſuæ laudes, quas in laud. pharmaciâ meruit inter aperientia mineralia, tanquam ſpiritus vitrioli coagulatus, & portatilis polychreſtus, & (cùm nitroſi ſpiritus hinc abeant, vitriolici verò reſiduo quaſi fixato copulentur) in ſe & citra abuſum tutus, nec injucundus. Erunt tamen quibus vel in ore placeat ad calorem ſiccum mitigandum, ad liberandos flatus, &c. illud etiam ſibi relictum nitrum.

Vehiculum tandem & *ſpiritui* iſti & *nitro* deſtinatur *Serum Lactis* per praxin mihi laudatam loco non uno; e. g. in cap. de *ſtomachi vitiis*, *malo hypochondriaco*, *maniâ*, &c. Equidem potuum medicorum genera perquam varia ſi conferri & diſcerni ab invicem pro uſu ad diverſitatem ſexus, ætatis, temperamenti, idioſyncraſiæ determinando deberent, dum è regno minerali *acidulæ*, *betulæ liquor* è vegetabili, ex animali (tranſeat *urina vaccæ*) plenum gelatinâ *juſculum* cum *lacte* contenderent, & diverſimodè adhuc Lac ipſum vel ne grumeſcat *ſaccharatum*, vel ne craſſitie infarciat *dilutum aquâ*, (etiam *Calcis*,) aut *Serum lactis*, ſimplex vel ulteriùs non tam *conſervâ* fortè roſarum, & *ſyrupo* violarum conditum, quàm *acido* vel *nitro* alteratum, bibitur, hæc inquam prolixius omnia ad finem mihi pagellarum faceſſerent negotium, & offenderent fortè diverſorum patronos.

nos. Interim de guſtibus dicitur non eſſe diſputandum, & innuitur, ſelectum ori ægrorum fore reliquendum, ſi non eſſet diſputatio ſimul de viribus; quarum ratio cum guſtu ſi conſpiraverit, quin gratiæ ſaporis aliquid dari poſſit, minus dubitabitur. Etenim ſecedit à *lacte ſerum* per varia *media*, & ſub ſeceſſu ab illis acceſſoriis plus minus alteratur, ſive à caſeariis ſuo modo obtineatur ut parergon, ſive *cremore tartari*, *acido citri*, *herbâ acetoſæ* incoctâ, (ad analogiam juſculorum medicatorum, ſi *meliſſa*, *chærefolium*, ſimilesque ſuaves acceſſerint) ubi *œnogala Hippocratis* in comm. *Valles*. p. 190. & 818. quin *Poſſeticus Anglorum liquor* etiam in conſiderationem venire poſſet, ſive denique ipſo potentiori *acido ſpiritu*, ſeparetur. Scilicet ſcopus videtur, procurare potum ad *acidularum* ſimilitudinem bibendum, quærere harum defectui ſuccedaneum: Uti *decoctum Lowerianum* ex avenâ & cichoreo, cum nitro & ſacharo, laudem meruit; & ſimiliter nitratum, alterandum & edulcorandum ſerum ad gratiam temperari poterit. Sit ergò *Lac* perſonis teneris nutriendis, ſit *Serum* impuris corporibus purgandis, (abſterſorium enim laudatur, & potentiæ ſalinæ non expers ipsâ *Seri Mannâ* per cryſtalliſationem obtinendâ probatur) remedium tam *quantitate* agens diluendo & eluendo quod viſcidum & ſalinum, quâm *qualitate* temperando quod bilioſum-inflammabile peccat, ut ſublatâ causâ quæ depaſcit, ſiccat, ſtimulat, rodit, tabis, ſpaſmorum, dolorum tollantur effectus, ſub uſu convenienti, qui ſui teſtimonium habeat evidens in tolerantiâ, in ſucceſſu, cum bono ſigno non labefactati toni, & appetitûs redeuntis, manentis, fieri iſta non invitâ quà in ſtomacho eſt naturâ. Ubi, quando quidem quod *nitri* & *acidi* eſt ſuprà jam dixi, nil ſupereſt, quàm ut concludam *regulâ practicâ* in iſto meo promtuario ſcriptâ cacoſtomachis, hypochondriacis, ut, non illo ſenſu nec modo, quo vagi nimis varia perversè uſurpant, ſed dextrè, in uſu remediorum *alternent*, transeundo prudenter à calidiorum uſu ad frigida, & ab his viciſſim ad illa; vel & horis medicis *interponant*, ſubjungant frigidis humidis calida ſicca, aliàs metuendæ noxæ pro conditione individuorum ita tempeſtivè proſpiciendo.

T A N T U M.

SOLI DEO GLORIA!